



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Si Deus potuerit assumere hominem in sexu muliebri. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



gnitas. Ex his aperte ostenditur, & alium & aliunde hominem Deum assumere potuisse.

*Si homo ille potuit peccare, vel non esse Deus.* C

Ideo non immerito queritur, Vtrum homo ille potuerit peccare, vel non esse De<sup>9</sup>? Si n. potuit peccare, & potuit damnari. Si potuit damnari, potuit non esse Deus, ergo si potuit peccare, potuit non esse Deus: q̄a esse Deum, & posse velle iniquitatē, simul esse nequeunt. Hic distinctione opus est, vtrū de persona, an de natura agatur. Si n. de persona agitur, manifestū est q̄a peccare nō potuit, nec Deus non esse potuit. Si vero de natura, discutiendum est. vtrū agat de ea vt verbo vnita, an de ea tanquā nō vnita verbo, & tamen enti: i. an de ea secundū quod fuit vnita verbo, an de ea secundū quod esse potuit, & non vnita verbo. Non est enim ambiguum, animam illam entem vnitam verbo peccare non posse: & est sine ambiguitate verum, eandem si esset & non vnita verbo posse peccare.

*Quorundam oppositio quod potuerit etiam vnita peccare.* D

Quidam tamen probare conantur etiam eam vnitam verbo posse peccare: q̄a liberum arbitriū habet & ita potest flecti in vtrāq; partē, quod friuolum est: cum & angeli liberū arbitrium habeāt, & in gratia à Deo sint confirmati vt peccare nequeant. Quanto magis ergo ille homo, cui Spir. est datus sine mensura? Inducunt quoq; auctoritatē ad probandū idē. Scriptū est n. in lib. Sap. Qui potuit trāsgredi, & nō est transgressus, facere malū, & non fecit. sed hoc accipiendum est secundū mēbra, vel partim de capite, partim de membris. De capite, Non est transgressus, & non fecit malum. De membris, potuit trāsgredi, & facere malum.

*Si Deus potuerit assumere hominem in sexu muliebri.* B

Solet etiam quæri, quamuis curiosè, à nonnullis. Si Deus humanā naturā potuit assumere secundum

*Ioan. 3. d  
Eccl. 31. b*



dum muliebrem sexum. Quidam arbitrantur eū potuisse assumere hominem in fœmineo sexu, ut assumpsit in virili. Sed oportunius atque conuenientius factum est, ut de fœmina nasceretur, & virum assumeret, ut ita vtriusq; sexus liberatio ostēderetur. Vnde Aug. in l. 83. q. Hominis liberatio in vtroque sexu debuit apparere. ergo qui a virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, cōsequens erat & fœminei sexus liberatio. Hinc apparet, quia ille vir de fœmina natus est. Sapientia ergo Dei, quæ dicitur vnigenitus filius, homine suscepto in utero & de utero virginis, liberationem hominis indicauit.

*Quæst. 11. in tom. 4. ad finem.*

SI CHRISTVS SECVNDVM NATVRAM  
hominis in sapientia, & gratia proficere potuit, & profecit.

## DISTINCT. XIII.

A

PRÆTEREA sciendum est, Christum secundū hominē ab ipsa conceptione gratiæ plenitudinem recepisse: cui spiritus datus est nō ad mēsuram, in q̄ plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Ita vero habitat, ut ait Aug. ad Dardanū, quod omnia gratia plenus est. Non ita habitat in sanctis. Ut in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed nō quantum in capite (Ibi n. & visus est, & auditus, & olfactus, & gustus & tactus: in cæteris autē solus est tactus) Ita in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis: quia ille est caput in quo sunt omnes sensus. In sanctis vero quasi solus est tactus: quibus datus est spiritus ad mēsuram, cum de illius plenitudine acceperunt. Acceperunt autem de illius plenitudine non secundum essentiam, sed secundum similitudinem: quia nunquam illam eandē essentialiter, sed similē acceperunt gratiā. Puer ergo ille plenus sapiētia, & gratia fuit ab ipsa cōceptione. Vnde Hier. rectē dicit. Nouum faciet Dominus super terram, mulier circūdabit virū, quia in utero

*Quemodo v. bi seu Christi in carnatio ordinatur ad nostram redemptionē, quantum ad plenitudinē gratiæ & sapiētiæ simul ad Coloss. 1. b. Aug. epi. 57. ad h. n. 10. 2. Ioan. 1. b.*

*Hier. 31.*

N n 5 virginis